

RECTOR & PROFESSORES P.

ILLUSTRIS SCHOLÆ BREMENSIS,

annuntiant

cundas d. 16. exsequias

Viri Nobilissimi atque Amplissimi

DANIELIS WEITSEL,

Magnarii ex præcipuis, Senatoris Senioris

& templi Ansgariani Ædilis

Nati Bremæ A. MDCLXXXV. d. 14. Julii.

denati ibidem A. MDCCLIX d. 11. Decembr;

Ætatis A. LXXIV. M. IV. D. XXVII.

Typis, Viduæ b. H. C. Jani, quondam Illustr. Gymnasii Typograph.



ILLUSTRISSIMO SCHOLAE BREMENENSIS

LECTORI

AD

VITAE NOSTRAE



Dum crebrius funera sibi succedunt, & sese quasi excipiunt, sive lues regionem depopulentur, sive corpora morbis atque tabe confecta, fato succumbant, moniti de morte, mentem in illam defigimus curatius. Uti varia sunt, quae illam circumstant, comitantur atque sequuntur, sic multiplex meditationum materies, inde enascitur & offertur cogitationibus cujuscunque, qui assuetus est attendere ad res, consideratione dignas. Vix effluxit hebdomas, quum Tuis oculis subjiceremus B. Lector, conatos nobis & a natura inlitos horrores mortis, non prorsus, per ipsam voluntatem benigni Numinis ex animo eximendos, & suppressendos, moderandos tamen & leniendos. Argumentis ad hunc finem utimur variis, quae cum Philosophiae studio, suppeditat sacratior & in hac re, verior aequae ac certior, Optimi Maximi Sospitatoris disciplina. Verum si animum advertamus ad illorum usum, observabimus illa ipsa abusibus esse obnoxia, sive quaedam praepostero adhibeantur ordine, & praemittantur fortioribus, sive urgeantur ut nimis, & idcirco nihil probent. Digitum nunc intendimus in istud, quod ad animum solatio erigendum, petitur ex ipsa morte *tantumquam sine malorum*. Nil opus est speciminibus abusum istum asserere, adductis tum Philosophorum imprimis *Seneca*, tum Patrum Ecclesiae, *Tertulliani*, *Cypriani* aliorumque sequioris aevi testimoniis, obviis ubivis & satis notis, in quibus, ut affectus tristitiae animos pupugerat, profusa nimis eloquentia, de malis hujus vitae, paratragoediantur. Evitando, ne multis pauca dicamus, rem ipsam & argumenti pondus, expendemus. Malorum orbem non esse vacuum, nec vitam cujuscunque, negare nemo auferit, nisi qui plusquam Stoica *ἀναδία*, indifferentia omnia esse, potius obstinata mente asseverat, quam ratione consultata & explorato sensu, judicat. Verum an omnia mala sunt, quae animi impatientis sensatio, tanquam talia menti offert? Consultate magis de nobis & rebus nostris agere ur, ageremusque ipsi ad sapientiae normam, si discernere a malis, incommoda. Reddunt mala nos infelices, destruendo aut cohibendo, veri nominis beatitatem, incommoda autem molesta sensui & viribus accidunt, sed beatitatem saepius magis promovent quam impediunt. Labores in emolumentum proprium, proximi & causae Dei, suscepti, imo & exantlati, ad incommodorum juxta judicium sensuum, classem pertinent, an etiam ad malorum? Profecto in beneficiorum divinarum censum veniant, quoniam si illis casus esset orbis, verorum malorum copia in immensum auferetur. Praeterea mors non omnibus malis finem affert, quae apud impios duriorum est initium. Peccatorum gravissimorum malorum finis quidem est, verum ad illa vix attendunt falsi nominis solamen ex hoc fonte quarentes, quibus obversatur notio arumarum, & ex adverso, quicunque odio peccati ducuntur, in illius sine per mortem corporis, non subsistunt, sed vota ad meliora, & ulterius extendunt, communionem scilicet cum Deo & Mediatore, in statu summae, quam humana natura attingere

tingere valet perfectionis. Servilis est ingenii, solatio illo præcipuo nutrir, adversus mortem, quod ærumnæ atque graves sensus incommo-
rum, quæ præter jus & fas, venerabili crucis nomine appellantur, in illa
cesant; dum nobilior indoles, uti illustrata est luce veritatis, magis ad
sortem meliorem ad quam per mortem perducetur & ad quam anhelat, re-
spicit. Ignoscendum est Philosophis Paganis, ignaris eorum, quæ reve-
lato, de hereditate sanctorum in luce, docet, ut proni eapropter erant ad
despondendum animum, & eis solum permoti atque acti, quæ sensus fe-
riunt, quod adversus maximum malum & ad depellendam desperationem,
remedium quaesiverint in cessatione leviorum malorum, & quo illud ani-
mum eo fortius afficeret, exaggerarint cum molestiis hujus vitæ, earum
sensum. Primi Ecclesiæ Patres, sub persecutionibus Ethnicorum viven-
tes, quibus dirissima, nominis Christi causa vel erat perpetianda, vel con-
tinuo imminabant, & qui illos sequuti tempore invasionis barbararum gen-
tium, gravissima mala, in vastationibus tot regnorum & regionum experti,
a quibus nos benefica Dei providentia, etiam si ex bellis & contagiis quam
plurima mala, conspiciamus vel & sentiamus, tentati fuere, ad impatienti-
us ferendum mala. Postea argumentum istud, ex traditione inter sic dicta
topica relatum est, & in consuetudinem abiit, tanto magis, quoniam expe-
rientia docuit, illud ad terrores mortis, apud animos debiliores, non qui-
dem pellendos sed tamen palliandos, aliquam afferre medelam. Sapientiæ
veræ & coelestis nutritius, uti operam dat, ut malorum naturam ac pon-
dus ad justam stateram expendat, exemplum sanctissimorum Apostolorum
imitabitur, & præponet argumentum per fidem ab expectatione majoris
felicittatis ductum, illi, quod malorum sensus finiendus, præbet. Præmet
vestigia Pauli, qui dum testatur, *discipulo dissolvi*, tanquam principale
addit, & *esse cum Christo*, & dum spe lætabatur, *Dominus me liberabit*
ab omni mala re, potiori adjecta, erigebatur, & *ad coeleste suum regnum*
conservabit. Præservati divino sub umbone in hac vita a malis præter or-
dinem cruciantibus, abundantes beneficiis, quibus sensum illorum ipsorum,
quæ experiuntur delinire possunt, excitantur ad solamina quaerenda, in
potiori argumento. Eo animo, affluens multis beneficiorum divinatorum, in re
lata, documentis, orbem reliquit VIR AMPLISSIMUS, cujus memoria, hanc
tabulam, ut in eius frontispicio designavimus, suscipimus. Natus hic Bremæ
A. 1685. d. 14 Jul. a spectatissimis Genitoribus, *Patre* viro præclaro AN-
DREA WEITSEL Negotiatore fortunatissimo, Armamentarii Præfecto
& Ædile templi Ansgariani, qui cunas Cöthenis, domicilium cum fortunis
Bremæ, urnam vero Amstelredami Ao. 1721. d. 10 Martii, quorsum pro-
fectus fuerat, invenit, *Matre* Foemina Ornatisima ANNA POST, d. 25 Febr.
A. 1727. fato functa: *Avo* T. T. DANIELE WEITSEL Freibergæ, Saxo-
niæ oppido nato & rerum suarum sedem Cöthenis inveniente, *Avia* T. T.
MARGARETHA EIRRAUCHIN, Magdeburgo orta, cujus Majores in
lamentabili urbis direptione, suarum fortunarum jacturam sunt passi. In
genere Materno *Avus* fuit T. T. HERMANNUS POST, Negotiator feli-
cissimus, *Avia* T. T. MARGARETHA BORCHERS. Unica Parentum
proles unicunque tenerrimarum curarum objectum, rara illa felicitate ma-
ctatus est, ut votis responderet. Cum in puero, ingenii probi micarent
scintillæ, Pædagogio commissus, illius clasies omnes ab infima ad primam
pervasit. Tunc Parentem in itinere in Belgium Ao. 1701. comitatus, stasit
Virorum doctorum, Munnikendami, concreditus est curæ Rectoris Scholæ
ibi florentis *N. Moerkerkii*, inde vero post anni spacium Gymnasium Am-
stelodamente adiit, & pependit ab ore magni Rhetoris *Petri Francii*, ac
inspiciente Clarissimo Viro *Guilielmo Surenhusio*, studia elegantiorum litte-
rarum, summa diligentia excoluit, ut redux in Patriam & inter cives no-
stros receptus, illa gnaviter urgendo, profectus non temnendos ostende-
rit, dicta Oratione solemni, eruditorum plausus promerita, d. 27 Novembr.
A. 1704. in memoriam *Victorie prope Hochstadium*. Quamvis jurium sci-
entiæ dicatus illamque addiscere, manu ducente Viro Clarissimo *Henrico*
Coch J. V. D. & Professore coeperat, postquam in aliis propædeuticis exer-
citus erat, ductu Clarissimorum, isto tempore Scholam nostram ornantium,
virorum, arcana tamen dirigentis omnia Numinis nutu, sacra Musæ um,
cum sacris Mercurii, quæ coli viderat, nec inexpertus, sic tamen commu-
tavit, ne unquam erga ista reverentiam deponeret. Positis Hamburgi fe-
liciter tyrociniis, probe paratus, scientiam in itineribus per Germaniæ em-
poria, Helvetiam, subsistendo per sex menses Genevæ, Galliam & utrum-
que Belgium auxit, quo tempore ei a Serenissimo Principe Servestano,
cura negotiorum Severensium fuit concredita. Sic patrios lares revisens,
stabile domicilium heic fixit, adscita in thori fortunæque sociam Virgine
tunc lætissima vidua nunc moerentissima, GESA MEIER, filia Viri Nobi-
lissimi

lissimi Amplissimi & Consultissimi HERMANNI MEIER, J. V. D. Senatoris & Visitatoris Ecclesiarum in agro & T. T. GESÆ HANNEKEN. Conjugium hoc animorum conjunctione, numerosa prole, cum maxime rara felicitate beatum fuit, ut conjugibus, Quinquagennalia ejus, postquam Ao. 1708. d. 20 Novembris erat coeptum, testata Deo gratisima mente, celebrare licuerit. Ex octo natis liberis superstites tres obitum Parentis lugent. I. Primogenita T. T. ANNA MARGARETHA nata A. 1709. d. 26 Aug. nuptum data A. 1731. d. 29 Maji Viro Nobilissimo Consultissimo & Amplissimo HERMANNO von LINE J. V. D. & Senatori, mater facta est quinque liberorum, sed ante illam, 1) *Liborii* nati A. 1731. d. 26. Dec. triduo, 2) *Danielis* nati A. 1733. d. 29 Martii, octiduo, 3) *Mette Lucie* natæ A. 1735. d. 16. Octobris decimo quinto mense, 4) *Gesa Margarethe* natæ A. 1738. d. 13 April. tertia hebdomade, post nativitatem extinctorum, & 5) *postrema*, filiole, in lucem Ao. 1742. d. 22 Aug. editæ, quam tamen non vidit. Obiit ipsa A. 1753. d. 20 Aug. Jactura ejus Amplissimo viduo restituta est per Matronam præclarissimam JACOBAM HELENAM von MEINERTZ-HAGEN natam Viri Illustris GERHARDI von MEINERTZHAGEN, Consiliarii Archi Palatini & Thesaurarii Circuli Westphalici atque T. T. SARÆ ELISABETHÆ SCHLÜTER, quacum ad secunda vota transiit, Coloniae Agrippinæ A. 1754. d. 14 Aug. II. Secundo genita *Gesa Catharina* nata A. 1711. d. 18 Febr. 5ta Mart. & III. *Andreas* natus A. 1712. d. 14 Octobris, 21 Decembr. obierunt. IV. Vir Nobilissimus & Consultissimus HERMANNUS WEITSEL, J. V. D. & causarum in foro patrio Patronus, natus Ao. 1714. d. 7 Martii, connubio junctus Ao. 1744. d. 21 Julii, Virgini tunc peregrinæ ELISABETHÆ DWERHAGEN filie Viri Amplissimi DAVIDIS DWERHAGEN V. J. D. Senatoris & Scholarchæ, atque T. T. METTÆ CÖPER, foecundo terna prole foeminea, 1) GESA MARGARETHA, nata 1745. d. 1 Maji, 2) *Almatha*, nat. A. 1746. d. 21 Octob. denata A. 1752. d. 28 Maji. 3) METTA ALMATHA, nat. A. 1754. d. 10 Octob. V. *Andreas*, n. A. 1715. d. 5 Maji, denatus d. 19 Dec. ejusdem anni, VI. ANDREAS natus A. 1716. d. 4 Sept. Magnarius Hamburgi, denatus A. 1754. d. 20 Aug. VII. Matrona Ornatisima GESA CATHARINA, nat. A. 1718. d. 9. Sept. votis cesfit A. 1742. d. 22 Maji. Viri Nobilissimi, Consultissimi & Amplissimi HERMANNI DWERHAGEN J. V. D. & Senatoris, ex felici conjugio mater liberorum septem 1) *Mette Almathæ* nat. A. 1743. d. 23 Sept. post bimestre tempus, 2) *filiole* ante nativitatem A. 1744. d. 16 Decembris, extinctæ 3) GESÆ MARGARETHÆ n. A. 1746. d. 18 Febr. 4) ALMATHÆ n. A. 1748. d. 2 Febr. 5) *Danielis* n. A. 1749. d. 19 Octobr. denati A. 1750. d. 22 Jan. 6) METTÆ CATHARINÆ nat. A. 1754. d. 27 Jul. 7) HERMANNÆ n. A. 1755. d. 7 Oct. VIII. Vir Nobilissimus & Consultissimus DANIEL WEITSEL J. V. D. & Causarum Patronus, n. A. 1721. d. 19 Jun. Uti pie defuncti virtus, eo gratior erat, quod ex pulcro prodiret corpore & uti politis moribus, actionibus suis decus conciliabat, sic inter ejus fortunas, id reputandum erat, quod per gradus munerum civicorum, ad fastigium ascenderit, ex Diacono coetus Ansgariani A. 1721. d. 21 Maji, dignitas ædilitia, cumque illam deponeret, electus in Senatum, denuo illa A. 1733. d. 4 Nov. coetus suffragiis in testimonium luculentum, agnitorum ejus meritorum, decreta est. Cooptatus in spectabile Collegium Seniorum A. 1722. d. 10 Sept. & in Confesum Patrum Conscriptorum Ao. 1731. d. 24 Martii. Plures gessit Provincias, quas, sicut illæ ipsum, vicissim ornavit, fide, dexterritate, comitate, affabilitate, & prompto animo ad subveniendum, auxilium ejus desiderantibus. Patriam amavit, consiliis juvit, civium amorem sibi conciliavit rebus bene gestis. Coluit Deum, & Sacra publica frequenter, coluit & privatim. Laeto mactatus senio, quo accedente, gavifus antea corpore vegeto, arthriticis & ischiaticis malis vexatus, lenitis quidem per itinera ad acidulas Pyrmontanas, ante quinque vero annos dolores ex tumore pedis sensit, gangrænam minitante. Periculo illo, beneficio Dei, per medicamina depulso, mense Octobri A. 1757. ex pulmonum inflammatione decubuit, quo malo sedato, eodem mense anni elapsi, recrudit labes utraque pulmonum & pedis, quorum alter quoque maligno tumore affectus, per concomitantes morbum febres obstinatas, agrypniam & prostrationem virium, confectus est d. 11 Decembris circa medium noctem, spiritu remeante ad Deum datorem. Hodie sub hor. I. exuvie, quas deposuit, condentur in templo Ansgariano. Sic agamus Lector, ut nos in fatali termino, potius spes meliorum, quam tedium incommodorum, impellat. Vale P. d. 17 Decembris A. MDCCLIX.

